

h. 107, 1.

Yd
6089

DE
I O A N N E
M I L L E N E N S I V M E P I S C O P O
ET
S C H N E E B E R G E N S I V M P A S T O R E
P R O L V S I O

Q V A
I N S P E C T O R E S L Y C E I
G R A V I S S I M O S,
S E N A T V M A M P L I S S I M V M,
S A C R O R V M M I N I S T R O S A D M O D V M R E V E R E N D O S,
C E T E R O S Q V E R E I N O S T R A E F A V T O R E S E G R E G I O S,
V T
S O L E M N I I I I I . C O L L E G A E L Y C . I N A V G V R A T I O N I
d. IIII. M. Iul. FINITIS SACRIS,

H. L. Q. C. P E R A G E N D A E

B E N I V O L E I N T E R S I N T

H V M A N I S S I M E R O G A T


M. CAROLVS HENRICVS TROMLERVS,

SACROR. MINISTER PRIMVS, LYC. INSP. ET DIOECES. CYGN. ADIVNCTVS PRIMAR.
REG. SOC. TEVT. GOETTING. ET LAT. IEN. SOC. HON.

SCHNEEBERGAE,
TYPIS FVLDI ET ESCHERI SOC.

LOAN
LIBRARY
UNIVERSITY OF
MICHIGAN
ANN ARBOR
MICHIGAN





Historia, qua primam Montis Niuei aetatem attingit, Saeculum scilicet post C. N. XV. inter multa alia memoratu digna, quae de ciuitatis illius et originibus, et incrementis suceessibusque rerum prosperis exponunt, primos quoque oraculorum diuinorum interpretes, animorumque curatores commemorat, cultui sacrorum a serenissimis Principibus Eelectoribus Saxoniae praefectos, *Valentinum Pfefferkornium*, Familiae S. Francisci Sodalem, *Petrum Vtnerum* inprimisque his celebriorem *Ioannem Piscatorem Egranum*, illum simul a P. R. olim ad Episcopi dignitatem euectum; quem tenebris inuolutum, hac data occasione, in lucem protrahere, et quicquid historiae documenta, vel potius fragmenta sparsim de eo narrant, colligere, aduersa conciliare, obscura illustrare, atque adeo vel hanc emendandae historiae patriae rimulam diductam explere iam suslineamus.

Ac *Melzerus* quidem, princeps ille Annalium Schneebergensium conditor, cum reliquis, qui de eo nonnihil memoriae prodidere, nomen, in sacro lauacro acceptum, *Ioannis* nostro recte tribuisse uidetur; sed egregie fallitur in nomine ipsius gentilitio, quod *Bischoff* fuisse, non obscure innuit, scribendo illud litteris paulo maioribus, *Hist. Schneeberg. Renou.* p. 292. *Monachus vero Pirnensis* T. II. *Rer. Germ. a Menck.* edit. p. 1484. nomine *Piscatoris* gentilitio eum uidetur rectius insigniuisse. Quae inter utrumque diuersitas qua ratione possit conciliari, non est, quod anxie quaeramus vel laboremus. In vulgus enim notum est, saeculo, et decimo quinto et sexto, multos eruditorum sacroque ordini addictorum nomina propria vel latina, vel adeo graeca significatione expressisse. Igitur *Ioanni* vel nomen *Fischer* gentilitium, vel, suscepto S. Dominici Ordine, *Piscatoris* adscitum fuisse, facile ad credendum inducimur; quum contra *Melzerus*, nomine dignitatis, qua gauisus est noster, episcopalis offensus, hoc ipsum cum gentis compellatione videatur commutasse. Qua quidem in re Monacho laudato maiorem ut habeamus fidem, vel propterea nos impelli patimur, quia *Ioannis* ille fuit coaetaneus, et de ipsius et gente et ordinis consuetudine, *Melzero*, certior esse potuit. Quod autem eius patriam attinet, eam *Melzerum*, legimus, fecisse locum quemdam perobscurum, scilicet *Mielen* prope Egram urbem, [c.l.] quem tamen prorsus ignorant recentiores Geographi, quin de eo omnino tacet charta, tractus Egrani situm, eiusque oppidula, et singulos pagos et uicos oculis nostris subiiciens; immo vero ostendit pagum *Milestin*, e regione *Culmii* situm; qui si *Ioannis* patria fuerit, more uitioque rucolarum ac plebeiorum hominum, qui nomina locorum saepenumero pronunciando corrumpunt, et vel duriora et difficiliora pronunciata castrant, *Mielen* loco *Milestin*, inualluissent. Sed vix ea opus esse coniectura, nobis persuademus. In propatulo enim est, et hic bonum dormitasse *Melzerum*, eumque ex vocabulo, *Ioanni* adiecto, *Millenenfi*, vel, uti passim in monumentis antiquis legitur, *Milen-*
nensi

nenfi ac *Mylenensi*; locum patrium licentius diuinasse et condidisse, utpote qui error *Melzerum*, ut supra demonstrauius, iam ceperat in voce *Bischoff*, quam gentis eius compellationem temerius fecerat. Satius igitur erit credidisse, *Ioannem* fuisse *Egranum*; id quod prodit et *Monachus Pirnensis*, et alii fidei ^{de} auctores; eumque primo Saeculi XV. dimidio ad finem vergente in lucem editum. De Parentibus pueritia et iuuentute *Piscatoris* nihil profus ex litterarum monumentis constat. Bene tamen quisque coniciet, eum vel patriae urbis publicum, vel alicuius monasterii ludum frequentasse, et posthac in Academia vel *Pragensi*, vel, quod mihi quidem veri similius videtur, *Lipfica*, Musis litasse. Ordini Praedicatorum siue Dominicanorum, de verissimo scriptorum testimonio, *Mon. Pirn. c. 1.* et *S. V. Oesfeldii*, Antilitis Loesnicensium doctissimi, optimeque meriti *Hist. Beschr. einig. merkw. Städte im Erzgeb.* P. II p. 237. nomen suum dedit, et, id enim requirebat ordinis sui ratio, sacris sacerdotii posthac initiatus, procul dubio, sermones sacros crebrius habendo, diligenter se exercuit. Quo facto primum, eodem *Mon. Pirn. c. 1.* testante, Parochus *Noebdenitii* [*zu Noebdwitz im Voitlandt*] constitutus est. At ne ullam quidem huius loci mentionem, siue libros Geographicos euoluas, siue tabulam oculis vsurpes, terrae *Varisciae* vel *Aduocatorum* situs tam accurate alias pingentem, quin casus paululum memorabiles exprimentem, *Schenckianam*, inuenies; immo vero *Noebdenitium* quoddam, villam illam equestrem, ad Parochiam *Stoessenianam* pertinentem, sed facello profus carentem, in *Dioecesi Leucopetrensi*, *Dittman in Churfaech. Priesterseh.* aliudque *Noebdenitium* prope *Ronneburgum* in alia *Tabula Geographica*, licebit reperire. Vel *Monachum* in eo loco errasse, vel, quod magis verisimile videtur, *librarios* vel *typothetam* oscitantes halucinatos esse, crediderim. *Petro Vttnero*, Pastori *Schneebergensium* A. C. 1494. hinc *Weidam*, patriam, redeunti; successit *Piscator*, *Melz. d. 1.* quod absque dubio sub finem illius anni contigit; nam *Vttnerus*, *Codice* quodam vetusto coaeuoque, *MS. Gram-*

ma-

matophylacii Senatorii Schneeb. peculiis, teste fol. 101. eodem anno, dieque S. Donati, i. e. d. 7. M. Aug. hic adhuc haesit, et cuidam ecclesiae Vitricorum conuentui interfuit praesuitque. Omnia hic Piscatori feliciter euenere. Praeterquam enim, quod amplius honorificentiusque nactus erat sacerdotium, Doctoris quoque Theologiae honores, ac eos quidem, vt opinor, Lipsiae, adeptus; quin Ecclesiae Cathedralis Fribergensis, quod ei instaurandae Alberus, Dux Sax. magnos, e metallifodinarum argentearum tum Freibergensium, tum Schneebergensium largissimis prouentibus, impendisset sumtus, quodque Pastoratus Schneebergensis tum temporis nondum *dote*, vt idem *Codex* dicit, esset adfectus, Canonicatum consecutus; denique vero Suffraganei, vel Vicarii Episcopi Numburgensis, cuius pedo Schneeberga tum obtemperabat, partibus est potitus, *Mon. Pirn. Melzer.* cc. ll. et *Cod. Sen. MS.* fol. 100. Et Pastoris quidem muneri quindecim annos honorifice vili-terque videtur praesuisse, et, pro more illius aevi suiue coetus, satis fecisse; nec, quod huic aduersaretur laudi, vspiam nobis licuit rimari. Rem sacram curauit strenue, ecclesiae commodis solerter prospexit, aedibus Pastoris exstruendis nauauit operam, oeconomicisque rei sacrae rationibus optime consuluit. Quantae, sic dicit *Melzerus*, fuerit famae et existimationis, vel inde patet, quod R. E. Cardinalis *Ioannes de Turrecremata* eum Niuemontii conuenerit, ac discedens Bibliothecae Veteri aliquot libros dono dederit. Quod vero commentum, ex inscriptione quadam Codicis eiusdem bibliothecae, male intellecta profectum, a Rectore Lycei huius, posteaque Cruciani optime merito, Praeceptore nostro in vna deuenerando, *Daniel Traugott Müllero*, recte explosum est in *commentat. X. de Biblioth. Schneeb.* Id vero, partim ex indulgentiarum quodam diplomate, Cyzae in arce ab ipso subscripto, et cum aliis eiusdem fere generis a B. *Io. Gottfr. Wellero*, Praesule Cygn. quondam immortaliter merito et Poly-histore ac Theologo celeberrimo, in *S. R. Oesfeldii* c. l. P. II. exhibito,

par

partim ex laudato *Cod. MS. Senat. fol. 152.* qui, eo absente, narrat, quasdam res sacris destinatas propterea nondum potuisse consecrari, liquet, Piscatorem, id quod et muneris Vicarii ratio interdum exigebat, Episcopum suum Numb. Cizae quandoque inuississe. Quod autem ipsius *Episcopatum Millenensem* attinet, eum procul dubio interpellante suo memorato praefule, a *Roderico Borgia*, siue *Alexandro VI. R. P.* inprimisque, ut videtur, ab ipsius intimo Datario, *Io. Bapt. Fererio*, Card. Mutinensi, obtinuit. Ac licet de verissimo Historicorum, quin R. Ecclesiae addictorum, testimonio, nullum prope beneficium, nullaque ferme dignitas ecclesiastica fuerit, quam iste Fererius, sacra fame totus captus, non vendidisset; attamen meliora hac in re de Piscatore sperare nos iubet tum eius candor et probitas, nec minus fors tenuis, tum Episcopi Numburgensis, *Io. Equ. de Schoenberg*, fautoris et promotoris sui egregii, laus et gloria pietatis, vigilantiae, recti conscientiae, et in viros eruditos pariter ac probos, tunc temporis in Clericis oppido raros, insignis propensionis; de qua merita laude Praefulis vide, si non displicet, nostram *Varisciam Vet. Gent. et Christ.* ac auctores ibidem laudatos, p. 73. sq. Episcopi Eccles. R. in Germania ut plurimum amplissimis latissimeque saepius per provincias diffusis gauisi dioecesebus, quibus, ut par fuit, studiosissime regundis se sentirent impares, constituerunt iam tum, ut iuris Dioecesani, in locis urbibusque, longe a sede sua distitis, urbium, celebriorumque locorum Sacerdotes primos, eosque pios, probos, rerumque sacrarum bene peritos, suos *Vicarios*, vel vices suas ibi obeuntes *in Pontificalibus*, i. e. ut loco Episcopi Ordinarii absentis baptizatos confirmarent, Chrisma et Oleum sacrum pararent, aedes sacras, altaria, baptisteria, vestes sacras, campanas, coemeteria, vasa sacra, aliasque res, cultui sacro destinatas, solemniter ritu consecrarent, dedicationis dies festos definirent, litteras indulgentes poenitentibus impertirent, profanata sacra expiarent, ecclesias Clericosque visitarent,

pro-

promouendos Diaconos, Lectores, Exorcistas, Acoluthos, reliquosque inferioris ordinis clericos scholarumque moderatores examinarent, ex sententia et auctoritate Ordinarii constituerent, ordinesque sacros eis conferrent, de quibus Episcopis Vicariis, [vulgo *Weyhbischoeffen*] vid. *Boehmeri Princ. Iur. Can.* p. 97. sq. Cum igitur Episcopatus Numburgensis tam late se diffunderet, adeo, vt omnem simul Varisciam, superiorem tractus Metalliferi Misenenfis partem, atque huic confines Dynastias Schoenburgicas complecteretur, constituerunt Ordinarii ab antiquissimo inde tempore, qui locum suum in eis prouinciis tenerent; quales quidem fuere *Archidiaconi Dobenauenses in Variscia*, quorum multos passim recensuimus in dicto libello nostro; et in posterioribus prouinciis *Pastores* nonnulli *Zwickauenses*, e. c. *Cunemundus*, Episcopus Dionysiensis, de quo *Vulpii Crimitzschauia* sub fin. et *Schneebergenses*, e. g. *Valentinus Pfefferkornius*, *Petr. Vittnerus*, *Wolfgang*, *Kraussius*, qui ecclesiam nostram Parochialem solemniter, nomine auctoritateque Praefulis Numburg. dedicauit, testante *Melzero* c. 1. p. 78. ac, nisi fuisset vicarius illius, minime his muniis mere Episcopalibus potuisset fungi; et tandem, qui hunc antecessit, hic noster *Piscator*. Verum eiusmodi Vicarii sparta alii nequiuit demandari, nisi Episcopo, vel saltem ad Episcopatum quemdam extinctum cum dignitate episcopali consecrato; et illa consecratio fieri debebat vel ab aliquo Archiepiscopo, vel ex delegatione eiusdem ab alio Episcopo, vt *Boehmerus* c. 1. recte obseruat. Plerique eius generis episcopatum extinctorum fuerunt in regionibus, imperio Turcico, atque adeo infidelibus Principibus obnoxii; proinde antistites ecclesiarum illarum dicuntur *Episcopi in partibus infidelium*, vel simpliciter *Episcopi in Partibus*. Atque eiusmodi quidem Episcopatu *Io. Piscator*, nomine saltem, admodus, non re ipsa, ab *Alexandro VI.* et, vt facile est ad coniciendum, ex delegatione Archiepiscopi, vel Moguntini, vel Magdeburgensis, ab ipso
Epi-

Episcopo Numburg. *Io. de Schoenberg*, Patrono suo egregio, initiatus non immerito creditur, et cum titulo *Episcopi Millenenfis*. Etenim non solum simpliciter Suffraganeus et *Weyhbischof* audit *Melzero*; sed etiam *Pirn. Monacho Bischof Millenenser*; *Stepnero in not. ad Mon. Pirn. Millenus Praeful*; in Tr. d. *Oesfeldii* doctissimi, diplomatibusque ibidem allatis, passim: *reuerendus in Christo Pater, Dominus Ioannes, Episc. Eccles. Millenenfis, Vicarius noster in Pontificalibus*; Ioannes Dei et Apost. sedis gratia Millenenfium Episcopus, et de A. 1507. in *Cod. memorato Senat. MS. Der Ehrwürdige in Gott Vater, Her Iohannß Bischof zu Myllen, yczit Pfarber vffm Schneeberg*. Vbinam autem gentium, sic enim multi curiosius quaerent, est Episcopatus hic Millenenfis? Ego quid iudicem, paucis expediam. Nimirum suspicor, episcopatum intelligi in Insula Archipelagi olim celeberrima, hodieque non adeo inculta, *Mylos* dicta, de qua plura vide sis in *Thevenotii Itinerar.* L. I. p. 147. sq. qui simul meminit, nunc Episcopatum et Graecum et Latinum ibi adesse. Quod reliquum est, et Episcopum in Pontificalibus Piscator seuerè gessit, non modo Niuemontii, sed et in aliis Tractus Metalliferi et Dynastiæ Schoenburgicarum ecclesiis, quod abundè patet ex Diplomatibus a. b. *Wellero* collectis, et ab *Oesfeldio* vulgatis; quorum tamen vnico, vel librarii vel typographi culpa, irrepit error, scil. Annus p. C. N. 1313. vtpote quotempore Episcopus Millenenfis vix natus, nedum insula ornatus erat, ex diplomate subsequenti facile emendandus. In eodem tractatu *Oesfeldii* egregio, lectuque dignissimo simul relatum legimus P. l. p. 133. Piscatorem A. C. 1497. die Andreae Ap. coemeterium Loesnicense, a temerario homine, gladio stricto alium feriente, profanatum, expiassel, alteraque vice consecrassel et quatuor Ioachimicos accepisse. Quae accepta pecuniae summula ne forassel cuiquam, Decreti *Innocentii III. P. R.* memori: *pro consecrationibus nemo audeat quicquam extorquere, sed omnia isthaec gratis Episcopus impen-*

pendat, rel. fuspicionem uel auaritiaē, vel adeo criminis Simoniaē afferat, quae insignis iniuria aduersus Episcopum Millenensem, virum bonum, sit, audiamus ea, quae ad eum ab hac macula vindicandum liberandumque apprime facere videntur, quaeque iuris quidam Canonici et Theologiae, vt aiunt, casuisticae Doctor Anonymus in Libro suo A. C. 1433. eleganti manu exarato, praecipit. Proponitur enim ibidem p. 117. ea quaestio:

*Ob kein Byschof ader kein apt muge kein gut genemen
vmb kein werck, das er tut von sinem ampt?*

Quae quaestio sic enodatur:

*Hiezu sprechend die Meister, das ein Byschoff ader ein
apt, ader wer er sy, der über ander Lütt geistlichen ge-
walt hat, das der von sinem ampte darzu ist gebunden,
das er die werck fines amptes vergeben tu, sunder [beson-
ders] darumb, wann ime von sinem ampte ein genent geld
ist geseczt, vnd darumb neme er ytt von keinem Werck
fines amptes, als vmb wyhe ader vmb firmen, ader umb
capitl. halten, das wer ein luter symonie. Doch so die
Bischoff visitierend die cloester ader die pfaffen, die vn-
der im sind, so mugend sie wol von in nemen ane symo-
nie ir zerung vnd ir kost, die sie habend, die wyle sie visi-
tierent. Wann [denn] dise kost nemen sie als einen schul-
digen solt ires amptes, vnd nit als einen lon ires visi-
tirens.*


Itaque

Itaque ex legum Canoniarum E. R. praescripto Episcopus, cui certum stipendium constitutum est, pro sacris conferendis nil remunerationis extorquere vel sumere audeat. Sed si hanc legem accommodemus Episcopo Millenensi, ille, qua episcopus in partibus, stipendio certo, redditibusque episcopalibus definitis prorsus destitutus, ea lege haud alligatus videbatur; vbi vero tamquam Vicarius ea alligatus existimetur, Ioochimicos memoratos saltem loco victus diurni in itinere sumtuum, Germani vocant *Ausloesung*, sumfisse, quin iure sumere potuisse, videtur. Quod tandem postremam vitae eius aetatem attinet, meritis et canitie grauis, munere huius ecclesiae Pastoralis se A. 1509. abdicauit, et ciue suo et successore, *Wolfg. Krausio*, Egrano, et Canonico Fribergensi et Wurcensi Kal. Maiis eiusdem anni publice inaugurato, Schneeburgae valedixit, et Lipsiam contendit, vbi, quietis cupidus, in Monasterium sui Ordinis, Paulinum se abdidit, et Anno insequenti 1510. D. Dom. post Fest. Corp. Christi placide expirauit, ibidemque sepultus est, narrante *Mon. Pirn.* c. 1. coll. *Cod. Sen. MS.* fol. 153.

Atque haec de *Ioanne Piscatore*, rei olim sacrae, et nostrae scholasticae Antistite, disputata et praemissa sunt. Nobis, quibus, et Illustris, Magnificus et Summe Venerabilis *Senatus Sacer Lipsiensis*, et Dioeceseos Cygnensis Praeful Summe Venerabilis Doctissimusque, *Mauritius Gulielmus Schleserus*, s. Theol. Doctör celeberrimus, Ephorus noster pie deuenerandus, demandauit, vt Lycei nostri, a Senatu Praecellentissimo recens creatum, Collegam IV. Virum Nobilissimum Doctissimum artiumque ingenuarum laude florentissimum ornatissimumque *Carolus Traugott Grabnerum* veteri ritu inauguraremus, iam humanissime orandi *Inspectores Scholae Grauiissimi, Senatus Amplissimi, et Sacrorum Ministri Admodum Reue-*

Reuerendi, reliquique optimarum artium et rei scholasticae Fautores, vt
 ad Musarum delubrum perendie i. e. d. III. M. Iul. finitis factis frequen-
 tes confluant, ac nos, de optima certissimaque, qua res scholastica egregie
 iuuari et possit et debeat, ratione dicturos; Inaugurandum vero de felici
 educandae iuuentutis ratione peroraturum; beniuole audiant, et sua
 perhonorifica praesentia ludum nostrum litterarium magis ornent, vado-
 lescentibusque nostris discendi ardorem laudabili exemplo acuant augez-
 antque. P. P. Niuemontii Festi. Vifit. B. V. Mar. A. R. S. cl. cl. CCLXXXIII

Handwritten: 486889



Alpue hanc de ...
 Antiquae, disciplinae et praemissis ...
 fons et summe venerationis ...
 esse tractat summe venerationis ...
 Scholam, s. Theol. Doctor celebrantem ...
 huc, demandantem, vt post nos ...
 tam, Collegium IV. vna nobilissima ...
 nam laude ...
 nam videri non inauguratum ...
 Scholae Graecissimae, Summae ...
 Reuer-

Handwritten: n. 5.

Handwritten: X 2972 915

Handwritten: VD18

h. 107,1.

DE
IOANNI
MILLENENSIVM ET
SCHNEEBERGENSIVM
PROLVSIONE

QVA
INSPECTORES
GRAVISSIMO
SENATVM AMPLISSIMO
SACRORVM MINISTROS ADMODVM
CETEROSQVE REI NOSTRAE FAVT
VT
SOLEMNI III. COLLEGAE LYC. II
d. III. M. Iul. FINITIS SACR.
H. L. Q. C. PER AGEN
BENIVOLE INTERSINT
HVMANISSIME RO
M. CAROLVS HENRICVS TH
SACROR. MINISTER PRIMVS, LYC. INSP. ET DIOECES. C
REG. SOC. TEVT. GOETTING. ET LAT. IEN

SCHNEEBERGAE,
TYPIS FVLDI ET ESCH

